Interpretatio odarii Sapphici in Venerem

Abraham Gottlieb Raabe, Sappho

Digitized by Google

Digitized by

HISTORIA CARMINIS.

Carminis hiſtoria prius enarranda eſſe videtur, quam de eius indole agamus, et ipſum interpretari conemur. Quamvis Sappho perplura carmina compoſuiſſe conſtet, *) perpauca tamen, duobus odariis et nonnullis fragmentis exceptis, ad noſtra pervenerunt tempora. Odarium hoc in Venerem scriptum *Dionyſius Halicarnaſſenſis* in illa quaeſtione, vbi de natura orationis politae et floridae disputat, exemplum attulit, eoque modo nobis ſervavit *περὶ συνθέσεως ὀνομάτων*, t. II. p. 47. edit. Hudſoni,**) e quo primus edidit Henricus *Stephanus*, cum Anacreontis carmina in lucem prodire iuberet, Lutet. Paris. MDLIV. quaternis, et in: Sylloge carminum poetarum lyricorum. Lutet. MDLXXXVI. duod. quem inde plures ſecuti ſunt, e quibus nominamus *Vrſinum* in carminibus nouem illuſtrium feminarum et Lyricorum. Antwerp. MDLXVIII. cet. *Fabrum* Salmur. MDCLX. duod. *Longepetraeum* ad finem carmin. Anacr. Paris. MDCLXXX. oct. deinde MDCLXXXIV. duod. tum MDCXCII. Amſtel. qui de venuſtate carminis quaedam monuit; *Baxterum* Lond. MDCXCV. cuius editionem multis animaduerſionibus ornauit *Fiſcherus* noſter Lips. MDCCLIV. et LXXVI. et XCIII. oct. et inprimis *Voſſium*, qui in editione Catulli (Lugd. Batav. MDCLXXXIV.) ad carmen XLVIII. p. 115. emendationes huius odarii

*) Suidas dicit ſub voce Σαπφω: Ἔγραψε δὲ ἐπιγράμματα, καὶ ἐλεγεῖα, καὶ ἰάμβους, καὶ μονωδίας, quibus Dionyſius Halic. t. II. p. 2429. et Servius ad Virg. I. Georg. 31. addunt ἐπιθαλάμιον, Iuliann imperator epiſt. XXX. p. 402. ὕμνους, Antiphanes apud Athen. X. p. 450. γρίφους, Pauſanias apud Euſtath. ad Hom. Il. p. 247. σκόλιον de Admeto et Athenaeus XIII. p. 599. verſus ad Anacreontem.

**) Sapphus locus in vulgatis Dionyſii Halic. editionibus admodum corruptus et metrum multis in locis luxatum eſt; verior lectio, monente Sylburgio, in Vrſini et H. Stephani editione, pauculis exceptis, exſtat.

142331

Digitized by Google

Sapphici e libro ſcripto quodam Dionyſii Halicarnaſſenſis, ut dicit,*) attulit; prae caeteris autem nominandus eſt *Wolſius*, qui ſic inſcripſit librum: Sapphus poetriae Lesbiae fragmenta et elogia, quotquot in auctoribus antiquis graecis et latinis reperiuntur, cum virorum doctorum notis integris. Hamburg. MDCCXXXIII. quat. et poſt eum *Brunkius*, qui Sapphus odaria edidit in analectis veterum poetarum graecorum. Argentor. MDCCLXXII. vol. I. p. 54. cum adnotationibus vol. III. p. 8. aſſeruatis, quae odaria deinde adiecit editioni carminum Anacreontis, Argentor. MDCCLXXVIII. quam ad exemplum Spalettianum codicis Vaticani repetiit MDCCLXXXVI. (quo libro nos vſi ſumus) iterum excudi curauit anno ſequenti. Omnium vero editionum indicem confecerunt Fiſcherus et Bornius, VV. CC. in praefationibus ad editiones Anacr. ab ipſis paratis, quibus adnumerandus eſt Harleſius in introductione in hiſtor. ling. gr. p. 74.

O C C A S I O.

Occaſio, qua data hoc carmen ſcripſit, ex ipſius poetriae verbis luculenter perſpici poteſt. Amore ita flagrauit Sappho, vt, cum ſpe vana duci videretur, grauiſſimis affecta eſſet doloribus, Veneremque, vt iis ſeſe liberaret, et amorem ſibi conciliaret, vehementiſſime rogaret. Quis autem fuerit, cuius amore ita incenſa eſſet, iuuenis an virgo, quas ea a nonnullis amaſſe fingitur, **) non liquet, cum, quae a poetria profe-

*) Cum de hoc libro ſcripto plura non moneat, recte iudicari non poteſt de his emendationibus, quamquam id elucet, eas ſupra modum procedere, vt editor Anacreontis anonymus Londinenſis (ſcil. Ioſephus Trappius, qui Anacreontem edidit Lond. 1733. 8. et 1742. 12. cum notis perpetuis, verſione latina, cui et Sapphus odaria adiecit, de qua edit. cf. d'Orville in vanno crit, p. 69. et 557.) in praefatione p. 20. monuit his verbis: „ridicula eſt inſuetarum dialectorum et vocum affectatio, eſtque vulgaris lectio longe praeſtantior“ quas tamen Voſſii emendationes laudat Hudſonus.

**) Nominantur Atthis, Teleſippa, Megara, Anactoria, Cydno, Gyrinna, Andromeda et Gorgo. Loci, quibus iſta exprobratio nititur, ſunt in Haephaeſtione p. 42. Ovid. Heroid. XV. 15—19. 201. et Triſt. II. 365. Horat. II. Od. XIII. 24. et I. Epiſt. XIX. 28. Auſon. idyll. VI. 25. et inſcriptio odarii Sapphici ſecundi. Cum autem haec ſint loca ſcriptorum recentiorum, haud quidquam probare poſſunt. Quare alii iſtam obſcenae libidinis ſuſpicionem ita reiicere ſtuduerunt, vt Andr. Thevetus (les vies des hommes illuſtres t. I. p. 221.) calumnias interpretationi malevolae vocis Horatianae maſcula, Anna Daceria (in vita editioni Anacreontis et Sapphus praefixa, Paris 1682.) odio Lesbiadum honoribus ſummis Sapphus invidentium tribuerent, et poſt Ae-

Digitized by Google

runtur, in virginem adamatam aeque referri poſſint, ac in pulchrum iuvenem. Perplures autem viri docti Phaonem, cujus amore ac deſiderio flagrasſet, illum juvenem fuisſe perhibent, cuius hiſtoriam ſcriptores antiqui enarrarunt. *) Phaon, vt vulgo traditur, Veneris beneficio omnium pulcherrimus factus eſt ivuenis, vt eum Sappho perdite amaret, eumque, cum amoris illius feminae taedio plenus in Siciliam abiret, perſequeretur. Sed voti impotens cum ea esſet, tam inſana fuisſe dicitur, vt ſe e promontorio Leucate praecipitem datet. **) Sed ille Sapphus amor in Phaonem eiusque triſtis euentus non ad noſtram poetriam, immo ad aliam Sappho Eresſiam pertinere videntur, cum partim Athenaei locus ***) id affirmet, partim id, quod de ſola Sapphone narratur, de omnibus feminis Mitylenenſibus dicatur apud Aelianum. ****) Litterae autem, quas Ouidius Sapphonem ſcribere Phaoni fingit, hac de cauſa nil ad rem faciunt, quia fabulam, vt audierat poeta, accipere, duarum Sapphonum fata permiſcere atque hoc modo errare poterat, et, quod accedit, illa epiſtola omnino ſpuria esſe videtur atque ſuspecta, quare in nonnullis Heroidum Ouidianarum exemplaribus, niſi recentiſſimis, reperitur. *****) Ex quibus ſequitur, nos, cuius amoris ſibi conciliandi cauſa Venerem rogauerit, et hocce carmen ſcripſerit, certo dicere non posſe, quod quidem et ad verborum intelligentiam, et ad carminis venuſtatem ac praeſtantiam eius dijudicandam nil facit. Sed cum omnis mea oratio, niſi perſona quaedam accipiatur, fiat obſcura: jvuenem, quem amauerit Sappho, (quod et aequum et veri haud diſſimile eſt) fuiſſe fingamus.

lianum (V. H. XII. 19.) Wahlius (Lieder der Liebe von Sappho und Anacreon, Erfurth 1783.) non Mityleneae, ſed Ereſſiae Sapphoni, meretrici notiſſimae, adſcriberet hancce turpitudinem.

*) Palaephatus fab. 49. Aelianus V. H. XII. 18. Athenaeus II. p. 69. Lucianus in dialog. mort. t. I. p. 276. et in imagin. t. II. p. 17. Plinius H. N. XXII. 18. et Suidas ſub hac voce.

**) Quod promontorium ab eo inde tempore iis, qui amori valedicere cuperent, inſerviiſſe, et in eo ſaltus amantium (ἅλμα τῶν ἐρώντων) fuiſſe dicitur. Cf. Herodot. VIII 87. Strabo X. p. 452. Plutarch. de virtut. mul. t. II. p. 255. Athenaeus XIV. p. 619. Cicer. Quaeſt. Tuſc. IV. 18. Servius ad Virg. III. Aen. 274. et Barthelemius: Reiſe des jüngern Anacharſis durch Griechenland, t. III. p. 313.

***) Athenaeus XIII. 8. ἡ ἐξ Ἐρέσου δὲ τῆς ἑταίρας ὁμώνυμος Σαπφὼ, τοῦ καλοῦ Φάωνος ἐρασθεῖσα.

****) Aelianus V. H. XII. 18. καὶ ἤρων γε αἱ γυναῖκες αὐτοῦ αἱ Μιτυληναίων.

*****) Heinſius ad Ovid. Hercid. XV.

Digitized by Google

ARGVMENTVM.

Argumentum odarii hoc eſt. Precatur Sappho ad Venerem, vt amorem amaſii ſibi conciliet; qua in re ſimul conſpicimus Vnitatem carminis in hoc poſitam, *) vt vnus inprimis ſenſus per totum carmen reperiatur, ad quem omnia, quae in carmine leguntur, tanquam ad caput rei pertinent. Sappho id vnum rogat, vt Venus pro ſua benignitate atque potentia iuuenis cuiusdam animum ad ſui amorem flectat atque moueat.

OIKONOMIA ODARII.

Deſcriptio vel tractatio, quam nunc videamus, eſt haec. Rogat Sappho Venerem, vt ſe amoris infelicis cruciatibus liberare velit. v. 1—5. cum et antehac ſe in amoribus adiuuerit v. 5—25. Hanc ſententiam poëtria perpulchre ita exornauit, vt perquam graphice Deam ipſam in ſui auxilium e coelo emigrantem deſcriberet his verbis: alias meas audiuiſti preces. v. 5. 6. deſeruiſti coelum v. 7. 8. curru paſſeribus ſubiunctis ad me celerrime aduecta v. 9—13. meamque curam ex me ſubridens ſciſcitata es. v. 14. 15. quid paſſa eſſem. v. 15. 16. quid maxime fieri cuperem. v. 17. cuius amorem contenderem. v. 18. 19. et, qui meum amorem et mea dona ſpreuiſſet v, 20—22. eum me adeo nunc inuitam amare debere dixiſti. v. 23. 24. Veni et nunc; vt te iuuante fruar amore. 25 ad fin.

VENVSTAS CARMINIS.

Nunc quaedam et de aeſthetica, quam vocant, interpretatione monere placet. Venuſtas atque praeſtantia carminis tum in verborum ſtructura et compoſitione, cum in rerum ſententiarumque natura atque indole cernitur. Illam venustatem ex litterarum, ſyllabarum, verborum, membrorum atque periodorum compoſitione ac ſtructura orientem iam Dionyſius Halicarnaſſenſis ibi **) expoſuit, vbi de natura politae floridaeque orationis, quam ex oratoribus

*) conf. Sulzers Theorie der ſchönen Künſte, ſub voce: Einheit.

**) Dionyſius Halicarn. περὶ συνθέσεως ὀνομάτων. t. II. p. 47. 48. edit. Hudſon. Quae praecepit hac de re, neminem hic ſummatim perlegere poenitebit." Polita et florida compoſitio deſiderat: locutionem moveri ferrique volubiliter, verba verbis ſuperuenire, partes orationis ſibi implicari, verba eſſe ſonora, leuia, mollia et virgineo quaſi venuſtoque vultu, ab aſperis grauiterque concurſantibus ſyl-

Digitized by Google

Isocrati, e poëtis epicis Heſiodo, e tragicis Euripidi, et e lyricis Anacreonti et inprimis Sapphoni tribuit, egregie praecepit. „Huius (ſcil. Sapphus) orationis, inquit, venuſtas et gratia e contextu verborum et compoſitionis laeuitate proficiſcitur. Nam verba ſibi invicem adponuntur et neceſſitudine quadam ac naturali coniunctione litterarum contexta implicantur. Multis ſiquidem et ſemiuocalibus vocales per totam fere oden, quae praeponi ſoleant aut poſtponi, coaptantur. Sunt autem ſemivocalium cum ſemivocalibus vocaliumqne inter ſe concurſus, qui ſonos perturbent, admodum pauci. Mihi quidem totam oden diligenter diſpicienti inter tot nomina et verba aliaſque partes orationis quinque aut ſex litterarum ſemivocalium connexiones, quae ſibi inuicem a natura permiſceri nequeant, repertae ſunt; eaſque non ita multum inuenio dictionis aptam concinnitatem exaſperare; vocalium concurſationes, quae ipſis membris acciderunt, aut totidem aut pauciores; earum vero, quae mutuo ſibi membra connectunt, paulo plures. Iure itaque facta eſt haec oratio inprimis et pulcre fluens et mollis; ſi quidem verborum ſtructura ſonum non reddit inquietum." Cum autem nos aetate noſtra hanc venuſtatem ac gratiam e contextu vinculiſque orationis atque compoſitionis leuitate conflatam vix ſentire poſſimus: equidem illam carminis pulchritudinem, quae ex rerum natura atque idearum ſententiarumque grauitate et dignitate oritur, quam Dionyſius transmiſit, breuiſſimis attingam. Non ſolum ob verborum ſingulorum atque membrorum aptam compoſitionem venuſta dici poteſt haec oda, ſed etiam idque potiſſimum propter ideas, ſententias animique affectus elegans, pulchra et eximia debet vocari atque laudari. Sappho amore cuiusdam iuuenis formoſi ita exarſit, vt maximos huius amoris cruciatus et dolores ſentiret et fere deperiret. Ad quem prius preces mittere potuit, quam ad Venerem, amoris Deam? et a quo melius, quam ab eadem diua Venere, potentiſſima domina, auxilium petere licuit?

labis abhorrere; non ſolum vero nomina nominibus ante committi et cura poliri expedit, ſed membra etiam membris contexta implicari atque omnia periodo concludi. Requirit nec breuiorem, nec maiorem membri longitudinem; pedibus vtitur non longiſſimis, ſed mediis ac brevioribus; periodorum fines vult eſſe numeroſos graduque ad amuſſim exaequato incedentes, quarum iuncturis committendis, atque iis verborum, plane diuerſum facit. Haec enim miſtura litterisque coëuntibus implicat; periodos autem ſeparat, easque veluti ex edito loco conſpicuas eſſe deſiderat. Figuris delicatis et mollibus plurimum vti amat, quibus multum lenocinii, multum theatralis inſit pompae.

Digitized by Google

Quare etiam precatur Sappho ad eam, et ſperat, fore, vt ſeſe illis doloribus liberet, ſeque adiuuet. Vt vero homo aegritudine et ſollicitudine plenus ſuam mentem ſtatim aperire, et id, quo angitur, eloqui ſolet, ſic et poëtria noſtra ſtatim ab initio mentem ſuam aperit animique ſenſus ita eloquitur, vt vehementiſſimis doloribus cruciari ſe profiteatur. Cum autem animus ſollicitus maximeque perturbatus eo minus miſeram conditionem ſuam copioſe deſcribat, quo magis et quo celerius indigeat aliorum auxilio: et hoc loco non pluribus exponit Sappho, quam perturbato ſit animo, quo igni conſumatur, quibus doloribus crucietur, ſed illico Deam implorat, vt ſibi opem ferat, ſeque his omnibus liberet, quod a poëtria noſtra egregie pertractatum eſſe quiſque videbit. Adulatione enim atque blanditiis ſaepe id accipi ſolet a quibusdam, quod vel poſtulare nemo poteſt, vel, ſi dari poteſt, aegre conceditur, hinc vt Sappho id accipiat, quod deſideret: his blandis vtitur verbis, vt iam ſibi perſuaſum eſſe de auxilio certiſſime ipſi ferendo dicat, et ſimul in animum reuocet, quod iam alias Dea ipſi opem tulerit. Nunc in auxilio Veneris iam alias ſibi praeſtito commode et longius commoratur Sappho, quia partim cuiusuis animus aduerſis rebus praeteritis ſed bene peractis delectatur, partim quia poëtria oſtendere vult animum gratum beneficiique ſemper memorem, partim vt Dea, quemadmodum antea fecerit, ſibi ſit propitia, cum prompta benignitas alio tempore iam ſignificata et declarata id efficiat, vt quisque etiam in poſterum ſperet eandem alterius voluntatem, quare et Sappho ſperat, fore, vt nunc quoque ſibi Venus opem ferat. Et aliae praeter has apparent, ſi indagare velimus, virtutes; vt inprimis pietas in Deam, et ſumma in auxilio diuino poſita cognoſcitur fiducia, vbi ſupplex, animo demiſſo et pio, et ardore precatur ad numen diuinum, ita etiam dignitas atque maieſtas Deae de coelo in terram deſcendentis elucet, omnisque eius aduentus nobilis et magnificus depingitur, Venerisque ipſa praeſentia deſcribitur grata, dulcis maximeque laeta. Illam autem venuſtatem, quam Daceriae ingenium inuenit, aſſequi et inuenire equidem non poſſum, Sapphonem nimirum eo, quod dixerit Venerem, ſi ad ſe veniſſet, currum retro vehi iuſſiſſe, ipſamque longius apud poëtriam commoratam fuiſſe, ſe ipſam depinxiſſe ſociam maxime amabilem. Quod equidem in carmine claris verbis dictum eſſe non video, et ſi quodammodo id coniicere liceat, ſe tamen Sapphonem noluiſſe depingere ſociam amabilem, (qua re maxime ſuperbiret) ſed potius Veneris benevolentiam magnam declarare voluiſſe putem, pro qua apud ſe longius commorata et omnia ſciſcitata fuiſſet, vt omnem curam atque miſeriam remouere poſſet.

Digitized by Google

Ex his, quae ipſe pro mearum virium mediocritate pulchra et venuſta eſſe inueni, non mirum eſt, quod Sappho olim dicta ſit decima Muſa, Muſarum prima, et κατ' ἐξοχὴν Poëtria teſte Galeno in libro, quod animi mores temperamentum ſequantur, cuius in honorem permulta exſtant epigrammata, quae legi poſſunt apud Wolfium p. 127—133.

ΕΙΣ ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ.

Ποικιλόθρον' ἀθάνατ' Ἀφροδίτα,
Παῖ Διὸς, δολοπλόκε, λίσσομαί σε.
Μή μ' ἄσαισι, μηδ' ἀνίαισι δάμνα,
Πότνια, θῦμον.

1. ποικιλόφρον' Vrſin. Voſſ. Ἀφροδίτη. Voſſ. 2. τε. Baxter. 3. ἄσαισι. Steph. Morell. Vrſin. Faber. ἄσσαισι Ald. ἀνίησι Wolf. 4. θυμόν. Steph. Mor. Vrſin. Faber. θύμον. Baxt.

Vers 1 et 2. Ita exorditur carmen, vt poëtria variis nominibus inuocet Venerem, quam ἐπωνυμίαν et πολυωνυμίαν antiquiores populi amarunt in precibus, hymnis, ſupplicationibus. Diana ipſa apud Callimach. hymn. in Dian. 7. rogat Iouem, vt ſibi multa tribuat nomina, et Bacchus multa ap. Sophocl. Antig. 1127. Apollo ap. Callimach. hymn. in Apol. 70. Alecto ap. Virgil. VII. Aen. 337. adeo mille nomina habuiſſe dicuntur. Haec multa nomina, quibus eodem modo, quo homines ſuperbi pluribus nominibus gaudent, et Dii delectari putabantur, iis indita ſunt partim α) *a locis*, in quibus vel nati erant, vel libenter commorabantur, vel colebantur, hinc Venus (quae etiam πολυώνυμος dicitur a Theocrito idyll. XV. 109.) Κύπρις, Κυθήρεια, h. l. ποικιλόθρονος; partim β) *a rebus et artibus*, quibus praeerant, hinc h. l. δολοπλόκος; partim γ) *a natura*, vt h. l. ἀθάνατος, παῖς Διός. Cum autem incompertum eſſet, quibus nominibus Dii inprimis gauderent, (cf. Aeſchyl. Agam. 169. Horat. Carm. ſaecul. 16. et II. Sat. VI. 20. omninoque Spanhemius ad Callimach. hym. in Dian. v. 7.) plura, ne errarent, congeſſerunt nomina. Quam adfabre Sappho Veneri ſua epitheta adfinxerit, monuit Gruterus, in lampad. t. V. p. 584.

Ποικιλόθρονος dicitur Venus h. e. quae ποικίλους θρόνους habet, quae variis in locis colitur h. e. *praepotens*, vt recte vertit Faber. Nam ſub eius imperio erant Dii (Homer. hymn. in Ven. 34.) homines (Homer. l. l. et Aeſchyl. Suppl. 564.) mare (Muſaeus 248. Ouid. Heroid. XVI. 24.) orcus; (Ouid. Met. V. 372.) plura loca collegit Rittershuſ. ad Oppian. Cyneg. II. 410. Cum poëtria Veneris

Digitized by Google

'Αλλὰ τυίδ' ἔλθ' αἴ ποκα κἀτερῶτα
Τᾶς ἐμᾶς αὔδας ἀΐοισα πόλλυ
Ἔκλυες, πατρὸς δὲ δόμον λιποῖσα
χρύσεον ἦλθες,

Ἄρμ' ὑποζεύξασα, κάλοι δὲ σ' ἆγον
Ὠκέες ςρȣ̃θοι, περὶ γᾶς μελαίνας

τῆδ' Steph. Mor. Fab. τύδ' Ald. αἴποτε, κατ' ἔρωτα. Steph. Mor. Fab. αἴποκα. Baxt. 6. τὰς ἐμὰς αὐδὰς. Ald. ἀΐοις, ἃς πολλάκ Steph. Vrſin. Fab. πόλλας. Baxt. 7. κ' ἔκλυες. Mor. ἔκλυευς. Ald. 9. ἅρμα. Ald. καλοὶ δὲ σ' ἄγον. Steph. Mor. Vrſ. καλοὶ δὲ σ' ἆγον Fab. 10. ςρυθοὶ. Steph. Mor. Vrſ. Fab. πτέρυγας μελαίνας. Steph. Vrſ. Mor. Fab. Baxt.

auxilium imploret: eam rectius adhibuiſſe cognomen potentiae apparet, quam aliud quidquam, ideoque noſtram explicationem eſſe veram, neque vero Baxteri ita interpretantis: *curru picto*, neque Fabri: *florida et varia veſte vtens* (θρονον eſt Heſychio monente ἄνθος καὶ τὸ ἐκ χρωμάτων ποίκιλμα) multo minus Voſſii lectionem ποικιλόφρονε, cum id v. 2. per δολοπλόκε ſignificetur.

δολοπλόκος h. e. *doloſa*, *verſuta*, ſic et in Orphic. hym. in Vener. 3. vocatur, quae, ſi animum non ſtatim incitare poteſt ad amorem, dolis vtitur. Conf. Homer. hymn. in Vener. 7. 33. 38. et Virgil. I, Aen. 661. ſeqq.

v. 3. 4. *Noli me infelici amore cruciari.* Nam ἄση explicat Suidas: ῥύπος· λύπη, i. q. ἀνία. Itaque eſt: θῦμον δαμνᾶν ἄσαισι καὶ ἀνίαισι, animum dolore afficere atque moeſtitia h. l. *aliquem amore excruciari ſinere.* Senſus igitur eſt: *noli, Venus, pati, animum meum amore infelici cruciari ac ſollicitudine plane confici.*

v. 5 — 13. *Sed mihi venias auxilio, ſi quando preces meas audiuiſti, et a coelo ad me deſcendiſti.* Nam τυίδ' ἔλθε eſt i. q. 25. ἔλθ' ἐμοὶ h. e. *mibi venias auxilio.*

v. 5. κἀτερῶτα. Mallem (ſi metrum permitteret, aut cum Fabro mutaretur in καδδ') legere cum Baxtero κατ' ἔρωτα h. e. libenter, quam cum Voſſio et Brunkio κἀτερῶτα (quod eſt aeolicum pro καὶ ἑτέρωθε, alias) cum notio κἀτερῶτα iam in illo αἴποκα latere mihi videatur, nam in hac ſententia: ſi quando alias cet. omitti poteſt τὸ alias.

v. 7. πατρὸς δόμος χρύσεος eſt *coelum*, quo Dii habitare putabantur, vt non ſolum homines natura ſua atque praeſtantia, ſed loco etiam excelſiori ſuperarent, (pſalm. II. 4. CXV. 3.) e quo diuinae maieſtatis loco in terram aut puniendi aut adiuuandi cauſa deſcendentes, et interdum curru deuecti, vt h. l. fingebantur.

v. 9. ἄρμα ὑποζεύξασα. Cum celeritas in agendo virtus dici poſſit: hanc, vt perplures alias res humanas, Diis adſcribebant, iisque, vbi de Deo ſeu Dea aliquid agente ſermo eſt, currum, quo celerius fieret, attribuebant (Homer. hym. in Dian. 3. 4. et in Sol. 9.) quem,

Digitized by Google

Πύκνα δινῦντες πτέρ' ἀπ' ὠρανῶ, αἰθέ-
Ρος δία μέσσω

Αἶψ' ἀλλ' ἐξίκοντο· τὺ δ', ὦ μάκαιρα,
Μειδιάσασ' ἀθανάτῳ προσώπῳ
Ἥρε' ὄ ττι γ' ἦν τὸ πέπονθα, κ' ὄ ττι
Δή σε κάλημι,

Κ' ὄ ττι ἐμῷ μάλις' ἐθέλω γενέσθαι
Μαινόλᾳ θύμῳ, τίνα δ' ἄυτε πειθη -

11. πυκνὰ δινέοντες ἀπ' ὠράν', αἰθέ - Steph. Mor. Vrs. Fab. δινῆντες. Ald. ὁ'θέρος. Vos. Baxt. ὠρανῷ θέρος δ' ἄμευς πω Ald. 13. αἶψα δ' ἐξίκοντο. Steph. Mor. Vrſin. Fab. 15. ἧρε' ὄττι δ' ἦν τὸ πέπονθα, κ' οττι Steph. Mor. ἧρε' ὄττι. Fab. πέπονθα, χ' ὄττι. Vrſin. ἧρε' ὄττι γ' ἦν τὸ πέπονθα, κ' ὄττι Baxt. πέπονθε Ald. 16 δεῦρο κολοῖμι. Steph. Mor. Vrſin. Fab. δὲ ἦν τε κάλημμι. Ald. δὴν τε κάλημμι. Voſſ. ἦν τε κάλημμι. Baxt. 17. χ' ὄττι Steph. Vrſin. κ' ὄττι ἐμῷ Mor. κ' ὄττι γ' ἐμῷ Fab. Baxt. κ' ὄττι ἐμῷ Voſſ. 18. θυμῷ Steph. Mor. Vrſin. Fab. θύμῳ Baxt. πειθῶ. Steph. Mor. Vrſ. Fab. εὖτε πείθωμαι. Ald.

vt maior ſplendor ineſſet, aureum eſſe fingebant (Homer. hymn. in Dian. 4. ſic et h. l. niſi χρύσεον cum δόμον coniungas) cui ſubiungebant equos volantes (Homer. hymn in Minerv. 14.) vel igneos atque cadentes, (Homer. hym. in Mart. 7.) Veneris autem currui paſſeres, vt h. l.

v. 10. ϛρȣ̃θοι. Quia propter laſciuiam et foecunditatem noti ideoque Veneri ſacri erant, teſte Athenaeo VIII. p. 391. et Euſtath. ad Hom. Il. II. p. 171. ed. Baſ.

περὶ γᾶς μελαίνας h. e. *ſuper terra foecunda* quod quidem epitheton μελαινα ob ſpeciem et fertilitatem terrae additum non ἐμφατικῶς intelligi debet. Quae lectio Voſſi et Brunkii melior eſt, quam vulgaris: πτέρυγας μελαίνας ſcil. κατὰ, alis nigris, cum verſu ſequenti πύκνα δινῦντες πτέρα tunc otioſe adiecta eſſent.

v. 13—19. Senſus eſt: *celerrime et lubentiſſime opem mihi tuliſti.* Quod poëtria perpulchre ita exornauit, vt Venerem omnia diligenter ſciſcitantem depingeret.

αἶψα Heſychius: εὐθέως, ὠκέως, ταχέως. Hac deſcriptione Deae celerrime aduenientis oſtenditur eius ſumma opitulandi propenſio, id quod ex ſequentibus verſibus apparet.

v. 14 μειδιάσασα ἀθανάτῳ προσώπῳ h. e. *vultu diuino ſubridens* i. q. in Orphic. hym. in Vener. 27. exſtat ἐπήρατον εἶδος ἔχȣσα. Cum Venus ſit Dea amoris, ſuauitatis, hilaritatis, omnisque dulcedinis, et haec omnia riſu leni ſeſe plerumque exſerere ſoleant: ſexcenties illud Φιλομειδὴς reperitur in Homero, vt exprimatur benignitas Veneris eiusque fauor, et h. l. commode additur,

Μι σαγήνεσσαν Φιλότατα· τίς σ', ὦ
Σαπφοῖ, ὑβρίζει;

Καὶ γὰρ αἰ φεύγει, ταχέως διώξει·
Αἰ δὲ δῶρα μὴ δέκετ', ἀλλὰ δώσει·
Αἰ δὲ μὴ φιλεῖ, ταχέως φιλάσει,
Ἢ ὃ κεν ἐθέλλοις.

19. καὶ σαγήνεσσαν. Steph. Mor. Vrſ. Fab. τίς τ' ὦ Baxt. 20. αδικῆ. Ald. Baxt. Voſſ. ἀδικεῖ. Steph. Mor. Vrſ. Fab. 21. αἰ. Steph. Mor. Vrſ. Fab. εἰ. Ald. 22. αἰδε. Vrſin. δέχετ' Vrſin. δὲ κετ' ἄλλα. Ald. 23. αἰ — φηλεῖ — φιλῆσαι. Steph. Mor. Fab. Vrſin. αἰ — φιλῆ — φιλάσει Baxt. 24. κ' ὄττι κελεύης. Steph. Mor. Fab. κ' ὤυκ ἐθέλοις. Ald. κ' ὤυκι ἐθέλεις Baxt. ἢ ὄυκι ἐθέλοις. Voſſ.

vt indicetur, Venerem *quam lubentiſſime* ipſi opem tuliſſe; id enim, quod ridentes agimus, haud dubie libentes facimus.

v. 18. μαινόλης eſt epitheton Bacchi, vt Wolfius e Plutarcho de ira cohib. t. II. p. 463. et ex Euſtath. ad Hom. Il. VI. p. 484. probauit. Heſychius explicat per: ἔκκοπος, ἔνθεος, et Suidas per: μανικός, μαινόμενος, vt igitur h. l. ſit: *animus furibundus maximeque perturbatus.*

τίνα — Φιλότατα h. e. *quemnam irretientem amorem meis ſuaſionibus contenderem.* Cum enim σαγήνη, quod Heſychius interpretatur per: πλέγμα τί ἐκ καλάμων εἰς θήραν ἰχθύων, ſit rete piſcatorium, vti occurrit Matth. XIII. 47. σαγηνεύειν erit proprie *piſces capere*, vt in Matth. l. l. quod Heſychius explicauit per: ἁλιεύειν; deinde eſt omnino: *irretire*, *capere*, *ſeducere*, vnde Heſychius addit: αἰχμαλωτίζειν, et ſic occurrit Herodot. VI. 31. Amorem venari erit nunc: amore aliquem capere, amorem erga ſe in aliis excitare, vt ſenſus huius loci ſit: *rogabas, quemnam iuuenem amore irretire cuperem, a quo iuuene amari ſtuderem.*

Eundem ſenſum parit Fabri lectio: τίνα δ' αὖτε πειθῶ καὶ σαγήνευσ' ἂν φιλότητα h. e. *rogitabas, quem adoleſcentem in amorem ſuaſionibus meis inducerem, aut reti amatorio caperem.* Alium autem ſenſum habet lectio Baxteri: τίνα δ' αὖτε πειθῶ καὶ σαγηνεῦσαν Φιλότατα h. e. *quam ſuadelam, quem irretientem amorem* ſc. *tibi dabo*, nam προσοίσω ſuppletur; πειθὼ enim dicitur omne id, *quod vim alliciendi habet*, ſic in Anacr. XXII. 6. riuulo, quia praetereuntes leniter fluendo allicit atque oblectat, tribuitur πειθώ, itaque h. l. erit: omne id, *quod ad amorem inuitat*, facilitas, elegantia, comitas, venuſtas, inprimis lepor, blanditiae amatoriae, et facundia, qua virtutes, quibus aliquis gaudet, innoteſcunt, aliosque ad amorem excitant atque inuitant.

v. 19 — 25. *Iuuenis, qui tuum amorem et tua dona ſpreuit, nunc tibi dona dare, teque adeo inuitam amare ipſe incipiet.* Nam

ὑβρίζειν h. l. erit: *ſpernere amorem*, quo virgines vehementiſſime laedi poſſe dicuntur. Conf. Horat. Epod. V. et XVII.

Ἔλϑ' ἐμοὶ καὶ νῦν, χαλεπᾶν δε λῦσον
Ἐκ μεριμνᾶν, ὄσσα δ' ἐμοὶ τελέσσαι
Θῦμος ἰμέῤῥει,' τέλεσον· τὺ δ' αὐτὰ
Σύμμαχος ἔσσο.

25. ἐλϑὶ μοι. Steph. Mor. Vrſ. Fab. ἐϑέλοιμι, Ald. 26. ὅσσα δε μοι. Steph. Mor. Vrſin. Fab. Baxt. 27. ϑυμὸς ἱμείρει — σὺ δ' Steph. Mor. Vrsin. 15. Fab. ἡμέῤῥει. Voſſ. ϑύμος ἰμέῤῥει. Baxter.

v. 21. Φεύγειν eſt h. l. *amoris commercium omnemqne adeo colloquendi occaſionem ſubterfugere*, qua fuga optime ſibi conſuli poſſe affirmat Ouidius remed. amor. v. 213. ſeq.

v. 21. διώκειν denotat h. l. *amorem puellae ſectari.*

v. 25 — fin. Redit nunc poëtria ad rem praeſentem, et propter auxilium alias ſibi et celerrime et lubentiſſime praeſtitum ſperat, fore, vt et nunc Venus opem ferat iuuenisque amorem ſibi conciliet.

v. 26. χαλεπαὶ μέριμναι i. q. ſupra v. 3. ἄσαι καὶ ἀνίαι, curae, quae in animo amore infelici perturbato (μαινώλᾳ ϑύμῳ v. 18.) oriri ſolent.

ὄσσα — τέλεσσον h. e. *ſis mea adiutrix mihique venias auxilio, vt iuuenis amore, quo incenſa ſum, potiar certiſſime.*

Perplures et latinae et germanicae interpretationes tum poëtica cum pedeſtri oratione compoſitae in lucem prodierunt. Ex latinis, quae oratione ſoluta confectae ſunt, Fabri verſio optima eſſe videtur, quae exſtat in Fiſcheri editione carminum Anacreontis pag. 319. et ex iis, quae oratione poëtica contextae ſunt, illae duae haud ſunt ſpernendae, quae in Wolfii editione carminum Sapphicorum leguntur pag. 12. et 13. quarum auctores ſunt Elias Andreas et Samuelis Birkhovius. Theodiſcarum interpretationum numerus eſt tam magnus, vt omnes afferre plane inutile foret. Conf. Schummels Ueberſetzer Bibliothek p. 19. et 349. Vnam ex illis tantummodo, quam hic perlegere neminem pigebit, adiiciam, cum equidem meliorem exhibere non poſſim, viliorem conficere nolim.

Digitized by Google

Hymne auf die Venus.

Venus, allgewaltige Tochter Iovens,
Aller Herzen Bändigerin! Dir ſleh ich,
Laſs doch meine Seele nicht unter Gram und
Kummer erliegen!

Kehre wieder zu mir, erhabne Göttin,
Wenn du je mich liebreich erhörteſt, auf mein
Bitten je den goldenen Palaſt deines
Vaters verlieſſeſt,

Und mit vorgeſpannten geſchwinden Spazen,
Die mit ſchwarzen Flügeln die Lüfte ſchlugen,
Durch den Aether niederfuhrst, dann zurück ſie
Sandteſt, und lächelnd

Mich mit himmliſchfreundlichen Antlitz fragteſt:
Was mich ſchmerze? fragteſt: warum ich heute
Vom Olymp dich zu mir gerufen? fragteſt:
Was ich verlange,

Meiner Seele zärtlichen Gram zu lindern?
Welchen Iüngling ich zu gewinnen ſtrebe?
Wen mit Liebesseilen zu binden? Sage,
Sappho! wer kränkt dich?

Flieht er dich, ſo ſoll er dir eilig folgen;
Will er nicht beſchenkt ſeyn, ſo ſoll er ſchenken
Küſſt er nicht: ſo ſoll er nach deines Herzens
Wunſche dich küſſen.

O ſo komm auch iezt, und endlade mich von
Dieſem ſchweren Kummer, vollbringe, Göttin,
Was ich zu vollbringen mich ſehne, ziehe
Mit mir zum Kampf aus!

Digitized by Google

Sed nunc ad id, quod huius commentationis ſcribendae anſam dedit accedamus. Placuit enim Sereniſſimo Principi atque Electori Saxoniae FRIDERICO AVGVSTO, patri patriae dilectiſſimo, eiusque Amicis non minus de republica litteraria, quam de patria optime meritis, mihi munus Profeſſoris Publici extra Philoſophorum ordinem demandare, in quo fungendo omnes vires intendam, vt voluntati Principis ſatisfaciam litterarumque ſtudioſis vtilitatem afferam. Sed non ſolum pietas et in Deum et Principem, verum etiam officii mei ratio exigit, vt hocce munus meum more maiorum oratione publice habenda ſolemniter ac rite adeam, cui quidem rei dies XIII. menſis Decembris deſtinatus eſt, quo verba faciam in auditorio Philoſophorum *de rationibus in vitae genere eligendo iuueni litterarum ſtudioſo ſequendis.* Cum autem perplures huius pietatis et laetitiae meae teſtes habere cupiam: *Te, Rector Vniuerſitatis Magnifice, et Vos, Comites Illuſtriſſimi, Profeſſores, Doctores et Magiſtri huius Academiae celeberrimi atque ampliſſimi,* vt adſitis benevole, *et Vos, Commilitones Generoſiſſimi et Humaniſſimi,* vt frequentes conueniatis, diemque hunc celebriorem reddere velitis, oro rogoque. Scripſi in Vniuerſitate Lipſienſi. Dom. II. Adv. D. N. I. C. MDCCXCIV.

Princeton University Library
32101 064257346
Digitized by Google